ENCOMIUM
SERENISSIMI AC CELSISSIMI HEROIS
GUILLELMI HENRICI
ARAUSIONENSIS PRINCIPIS,

XIV Novembris MDCLXXXVII

Natali ejus die, in Academia Lugduno Batava peractum

A B

ARNOLDO BARONE DE WASSENAER,

Duvenvoirde, Domino in Voorschoote &c.

LVGDVNI-BATAVORVM,

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,

Academiæ Typograph. MDC LXXXVII.

ENCOMIUM

SERENISSIMI AC CELSISSIMI

HEROIS

GUILELMI HENRICI

ARAUSIONENSIS PRINCIPIS,

XIV Novembr. MDCLXXXVII

Natali ejus die, in Academia Lugduno-Batava

pradictum

A B

ARNOLDO BARCHUS

Daventriensi, Domi in Veenhoorn

BRITISH MUSEUM

Apud ABRAHAMUM HENRYICUM.

SERENISSIMO AC CELSISSIMO

PRINCIPI GUILLELMO HENRICO

DEI GRATIA

PRINCIPI ARAVSIACO & NASSOVIO, FÆDERATI BELGII GVBERNATORI HÆREDITARIO, IMPERATORIQVE SVMMO.

Dum Schola ſapientiſſimam Parentum Tuorum mentem ac Tuam benignitatem publicans, me fovet paratque, ut Tecum aliquando loqui ſim aptus, pietas una & ſola me coëgit, ut interim de Te loquerer. Erat quidem & fauſto inter votivas cogitationes ſilentio ſua laus, & potuerat hic dies eodem præcedentibus modo à me tranſmitti. Sed dum accedit ætas, dum vis animi acuitur, dum res humanas ex clariori ſpecula contemplari adſuesco,

crevit quoque (& indies crescere sentio) reverentia erga Serenissimam Celsitudinem Tuam mea, ab primis incunabulis mihi insita. Haec onerarit fatigavitque pectus meum, ut contineri ac tacita conscientia oblectari satis non potuerit. Haec inspiravit suggessitque, quas supplex ad diei ejus solemne celebrandum tuli, voces: quippe jam & Deum intelligebam jubere, ut memorentur sua benefacta. Propterea ut imitans illum, qui tam necessario tempore Te Batavis & Tecum adeo multiplicem gaudendi causam dedit, hanc innoxiam pietatem benevolus admittas, precor. Ita frequenter hunc Tuum vel potius nostrum natalem diem publice privatimque felix colas, quod vovet

Serenissimæ Celsitudinis Tuæ

obsequentissimus & fidelissimus cultor

A. à W.

Magni-

Magnifice Rector, Generosissimi Illustrissimique Curatores, Prator, Consules, Scabini Senatoresque & qui iis estis à Consiliis & Secretis, fulgentissima Leydensis felicitatis species, Indulgentissime Pater, Caterique Nobilissimi Viri, qui vultu vestro splendidissimo excitare me dignatiestis, Clarissimi & Eruditissimi Professores, vitæ & profectuum meorum exactores gravissimi, Præp. Holl. Ord. Collegii Regens meritissime, & in altera sparta collega ejus, Rerum divinarum peritissimi Doctores; Quique alii vel artis bona scientia vel alia laude decorati adestis honorati Auditores; Tuque vel Studiorum consortio vel consuetudinis familiari usu gratissima Studiosorum hujus Academiæ corona.

Omnibus fere sæculis, apud omnes propemodum gentes, constanti fide creditum fuit, parem prorsus non esse dierum, ut

ut æquabiliter fluentium, conditionem; ſed eorum quoſdam eſſe fauſtos & felices; alios vero infelices, & infauſtos. Undenam primum nata ſit opinio ejuſcemodi; quave deinceps ratione ad varias mundi partes fuerit tranſlata, ſicut diſerte nequeo aperire, quod neque neceſſe eſt, ita planum tamen & compertum eſt eam antiquiſſimam eſſe & communiſſimam. Ægyptios adeas vel Romanos vel Græcos, gentes tres in vetere hiſtoria ob ſapientiæ polituram maxime inclitas; ubique ominoſos nefaſtoſque pecinde ac geniales feſtoſque dies invenias. Neque vero præcipiti ſæculorum fluxu obliterata eſt poſt earum occaſum hæc dierum di-

ſtin-

ſtinctio: proſtat etiamnum inter atque diverſas nationes, atque in æternum proſtabit: ut exempla in eam rem congerere & populorum mores ob hanc partem inſpicere ſit ſupervacuum, quum paſſim legamus illos conſentire in hoc, ut non omnes eadem ratione dies celebrent, ſed aliis alios felicioresque habeant. Sed & iſta conditionis diverſitas unde procedat; utrum ex ipſa eorum natura, eſſentialique ſucceſſione; an verò ex fauſtis quibuſdam eventibus vel infauſtis, qui, cùm his vel illis diebus extrinſecus adveniant, faciunt, ut hi cenſeantur felices, illi vero infelices & atri, non convenit inter omnes; tametſi facile poſſit dirimi contro-

ver-

versia. Quotquot mundum fato gubernari, cunctaque ineluctabili necessitate moveri arbitrantur, illi fatalem quoque planeque necessariam concludunt hanc dierum distinctionem, felicemque nullum unquam posse occurrere, quin adjuncta illi felicitas; infelicemque nullum, quin adhærens infelicitas concurrant. Verùm quanquam isthæc necessitate ferrea videntur suffulta, vitrea tamen sunt, nulloque subnixa fundamento. Sunt ignorantiæ & superstitionis commenta, quæ sapiens quisque irrideat, non naturæ judicia, quibus suffragetur. Et certe sæpissime evenit, ut dies, qui alias uni & eidem felicissime affulsit, alias eidem is ipse ex eventibus

tibus oppositis redierit infelicissimus: ut in Pompejo notatum, qui illo ipso die, quo ante de fortissimo rege Mithridate tam glorioſè triumpharat, in Ægypto trucidatus fuit: ut quoque in Platone, Attalo rege, pluribusque aliis, qui eodem die, quo fuerant nati, eodem denati perhibentur. Ut adeo hinc ipsos dies nunc pro matribus, nunc pro novercis habendos publica populorum lingua admonuerit.

Si quæ ergo præ aliis sit hilaris & serena, si quæ nebulosa & tristis, id omne ex varietate rerum, quas quæque affert, est repetendum. Quæ singularibus beneficiis nos mactat, hæc illustris, hæc serena, hæc fortunata habetur; quæ vero

mœroris aut doloris alicujus nube obscuratur, damnumque aliquod nobis apportat, hæc obscura, hæc nebulosa, hæc infortunata reputatur.

Quæ cum ita sese habeant A. O. nullam fere in posteriorum horum sæculorum successione deprehendo, quæ hâc hodiernâ Celsissimi Serenissimique Principis Nostri Auciaci ortu nobilitatâ, jucundior & felicior videri nobis debeat. Cùm enim Generosissimum illum Principem nobis peperit, tum eam nobis paravit felicitatem, eam gloriam, eas delicias, quæ ut plene nunquam possunt persentiri, ita neque possunt unquam satis commemorari. Eo tempore, quo nobis ipsum genuit,

min; res nostræ pace Monasterienſi erant utcunque firmatæ; at nova & recens hæc ſtabilitas erat admodum infirma & inſtabilis. Receſſerant quidem hoſtes, qui eam perturbarent, at præterquam quod inviti receſſerant, non tam longe aberant, quin cito poſſent reverti. Vires noſtræ innumerabilibus tum bellis tum malis attritæ ſenſim quidem refovebantur, at nondum erant inſtauratæ. Tranquillitate quadam fruebamur, ſed quæ procellis & agitationibus proxima regna conterminantibus, facile poſſet agitari & quaſſari. Adhæc, paulo ante triſti fato amiſſus erat Dux, qui conſilio & virtute in his arcendis & repellendis nobis præiret.

Quanquam ergo cœlum noſtrum temporibus illis utcunque placidum dici poſſet, non poterat tamen omninò ſerenum cenſeri; quippe quod tot metus aut mæroris nubibus eſſet atratum. Hæc ſcilicet erat rerum facies, cum illuxit dies, quo heros noſter eſt natus; nobiſque ſingulari Dei beneficentia ad has languoris, triſtitiæ & timoris nubes abſtergendas datus.

An vero quenquam offendemus, ſi & illum diem adeo fauſtum, ſimulque cum die optatiſſimum, quem nobis dedit, Principem jam celebrare ſuſcipiamus? Voſque omnes, quotquot adeſtis, ad eorum celebrationem humaniſſimè invitemus? Rem equidem

aliquatenus novam, nonnihilque ab hoc fortasse loco abhorrentem, aggredior; sed qualiscunque censeatur, non arbitror tamen fore, ut quenquam novitate sua percellat; imo omnibus plene placituram confido; quippe quæ sit horum temporum tranquillitati, loci hujus majestati, omniumque verè Batavorum votis convenientissima. Quid enim congruentius, quàm tempora quieta, & altâ pace fruentia, eum celebrare heroem, per quem suam hanc tranquillitatem obtinuere? Quid justius, quàm eum Principem in augustissimo hoc prædicari loco, qui non tantum ab Majoribus ejus est consecratus, sed qui splendorem suum ab hoc ipso restitutum firma-

matumque, imo alterum natalem ab eo accepisse debet agnoscere? Quid denique laudabilius, quam generosos Batavos eum ducem laudibus extollere, per quem toto fere terrarum orbe ipsorum vires, industria, virtus & pietas magnificè resonant? idque solenni die, quâ hujus generis officia ipsi sine aliqua ingratæ voluntatis & infamiæ nota nequeant omninò denegari.

Sint ergo isthæc inusitata, & ubicunque inaudita, usurpanda tamen & audienda nobis videntur, in liberrima potissimum Rep., quæ laudabilia quæque permittit, inque splendidissimo templo, quod ad veritatem explicandam & justitiam asserendam est consecratum.

Si

Si quid ea tota in re arguendum superſit, iſtud unum forſan erit; quòd infans ego, illo prorſus, quod ad rem tantam requiritur, ingenio, illa eruditione, illaque facundia deſtitutus, planéque novus, de Principe graviſſimo, omnibus tum naturæ tum fortunæ tum gratiæ muneribus inſtruêtiſſimo, generis dignitate, virtutum quarumcunque radiis, purpureæ & regiæ affinitatis ſplendore, inter ſupremos orbis Magnates eminentiſſimo, dicere audeam. Verùm iſtud ipſum eſt, quod animos addit, neque ad dicendum impellit. Siquidem, qualiſcumque ſim, fieri nequit, ut in tanta rerum copia ſim jejunus & ſterilis; inter tot circumfulgentes radios lan-

languens & frigidus, inter tot adhortationum clamores mutus.

Igitur me, velut Memnonis ſtatuam inertem aliàs & immotam, ſolis tamen illuceſcentis lumine perfuſam ſonos humanos edere ſolitam, ad exortum hujus noſtri ſolis undiquaque ſplendore circumfuſum, & glorioſo illius radiorum illuſtriſſimorum tactu ad loquelam impulſum, publico etiam favore inflammate; & quod jus fasque eſt, Veſtrum omnium, AA. vota & applauſus facite ut habeam: quod unum ſi obtinuerim, adeo de incepti mei ſucceſſu non dubitem, ut contrà omnia mihi pollicear fauſtiſſima.

Ut ergo per hujus diei venuſtates non tam lingua mea decurrat,

quæ

(quæ peragere illas & satis festè recenſere nequit) quàm publicæ cogitationi tenuem ad exſpatiandum patefaciat ſemitam; tres potiſſimum periodos occurrere mihi ſentio, quarum ſpatia piè, jucundè, utiliterque circumerranti mihi ſuppeditabitur uberrima, vel benevolentiæ divinæ, vel communi felicitati teſtandæ, hoc eſt, beneficio hujus diei declarando, materies. Sive enim conſideretur ſideris hujus exortus; licet tot Imperatores, Reges, Principes, tum Germani tum Angli, velut ipſis puerperii faſciis adſtantes, ita radient, ut eorum Majeſtatem ſuſtinere nequeam; iſtud ipſum tamen urget me ad memoranda luculentiſſima divini favoris erga

patriam argumenta, qui dum Sereniſſimum Parentem diſſenſionum noſtrarum undas ſapientia & auctoritate ſua compeſcentem ad ſe aſſumit, ut optata quiete in cœlis fruatur, filium continuo ſubſtituit, defuncti Parentis pia & ſancta incœpta perſecuturum, Remque noſtram Publicam non modo plane ſedaturum, ſed & longe illuſtriorem redditurum. Sive adoleſcentiam ſcintillantem generoſiſsimæ indolis, acerrimi ingenii, dexterrimi judicii, pietatis ad liquidum Chriſtianæ feminibus contempler, tum profecto cæleſtis ille ſurculus acciſi Parentis trunco ſuccreſcens & jam vernans; clariſsimè patefacit multiplicem expectationem, ut penitus dubi-

tan-

tandum non ſit, quin ſuo tempore in copioſiſſimam & exquiſitiſſimam frugem ſit exuberaturus, mihique & ingenuis quibuſlibet adoleſcentibus ad altiora adſpirantibus multa imitanda, ſed vix aſſequenda proponat. Denique ſi provectiore & adulto tempore conſummatum intuear, & ſic ea quæ primùm illuceſcentia floreſque aliquos emittentia adſpexi, deinceps plene in Fœderatum Orbem Noſtrum influentia, lætoſque & ſolidos fructus quaquaverſum fundentia conſiderem, velut omnium cumulus & colophon mihi exhibetur; dum Heroa noſtrum Reip. gubernaculis admotum, oblata quævis mirabili prudentia, æquitate & zelo expedientem defi-

nientemque oſtendit.

Equidem contingit aliquando in rerum univerſitate, ut ex ignobilibus principiis, luto, cineribus, fumis, aliiſque hujus generis ſeminibus, nobilia quædam tum Naturæ tum Artis opera efformentur, Providentia Dei res ita moderante, ut his nos ad ſui admirationem rapiat. Sic ex lapidibus contritis, certaque ratione maceratis, cryſtallum etiam ſplendidiſſimum artis induſtria, ex terreſtribus quibuſdam ſuccis gemmæ etiam pretioſiſſimæ naturæ viribus generantur. At hæc rarius eveniunt. Utcunque ſit, hæ ſunt ſtabiles & ordinariæ rerum leges, ut naturæ ſuæ ſemina quodcunque ſequatur, viliaque & abjecta ex principiis

piis vilibus, nobilia contra ex nobilibus & exquisitis exurgant; vixque unquam ex divinis & cælestibus terrestria concrescant. Quæ cum ita sese habeant, ex his jam intelligitur, quo loco habendus sit Heros noster; cum ex nobilissimo & splendidissimo Europæ totius sanguine sit cretus. De suo enim Augustissimi quique occidentis Imperatores, Eminentissimi Galliæ & Britanniæ Reges, Celsissimi Germaniæ tum Superioris tum Inferioris Principes, aliquid ad ejus procreationem contulere. Quid dico aliquid? puriorem suum sanguinem, generosiores spiritus, defæcatiorem substantiam, atque horum ope illustriorum quarumcunque virtu-

tum ſuarum igniculos tranſmiſerunt. An vero cæleſti & divino eo ſanguine genitus terreſtre quid, ignobile, aut impurum ſpirabit? Nobiliſſimis his ſpiritibus animatus jacebit unquam iners & deſidioſus? Igniculis his imprægnatus quicquam parturiet illaudabile ac inhoneſtum? Utique æthereus ille Jovis ales non ſolet tectis ac tabulatis latitantes columbas ex ſe fingere. Nihil igitur ab eo expectandum, quod Majorum dignitati & gloriæ plene non conveniat; nihil, quod Celſiſſimæ Origini non reſpondeat exacte.

Genethliaci volunt hominum quemcunque ſub certo ſiderum dominio naſci, ex quibus non modo

do varii vitæ casus & eventa pendeant, sed etiam ingenium habitus, & mores deriventur; Planetas potissimum in his regnare, adeo ut, qui dominante Saturno nati sint, illi ex planetæ hujus frigiditate lentoque motu gravitatem & prudentiam; qui Jove, illi ex hujus inter alios planetas eminentia & dignitate, regiasdotes, regnandique artem; qui Marte, illi ex ejus fulgore rutilanti, acrique calore, fortitudinem & animos; qui denique Mercurio, illi ex suavi ejus luce occultoque progressu, industriam, mansuetudinem, aliasque virtutes politicas hauriant & sortiantur. Sic vulgo de siderum, planetarum præsertim, in hominum, maximéque

que Principum genituras viribus & influxu Aſtrologi philoſophantur. Si hæc proprio ſenſu accipiantur, inania ſunt prorſus, omnique deſtituta fundamento; quandoquidem nulla intercedat (ut exemplo utar) Saturni tarditatem inter & agendi prudentiam, Jovis aut Martis prærogativas inter & regnandi artes connexio: proinde figurato ſenſu, uti & veterum ac recentiorum perſpicaciores nonnulli ingenioſe ſuſpicati ſunt, figurato, inquam, ſenſu uſurpanda videntur; ita ut his ſignificetur, hominum maximéque Principum nativitati cœlos præeſſe; illincque illuſtriores quaſque eorum qualitates derivari.

Quæ ſi admittantur, heroi noſtro

stro magnifice convenient. Dum enim Nativitatem ipsius paulo attentius contemplor, non modo mihi videor innumerabiles stellas (Reges nempe & Principes, ex quibus est oriundus) suo quasque influxu ad eam concurrentes intueri; sed præterea inter eas elucere mihi videntur Planetæ quatuor, in eandem singulari ratione influentes, specialesque suas vires cum ipsa quique communicantes. Intueor primo Saturnum quendam gravissimum, Fœderati hujus Belgii Rectorem primum ac fundatorem, Guillelmum videlicet, Infantis nostri proavum, eam suam, qua tantopere celebratus est, gravitatem & sapientiam liberalissime conferentem. Video de-

inde alterum quasi Jovem longe lateque regnantem; Mauritium scilicet, eam, qua inter omnes sæculi sui Heroes enituit, fortitudinem & industriam impertientem. Accedit tertio Mars aliquis, bello potentissimus & acerrimus, Fredericus Henricus nempe, qui hanc suam largitur potentiam & alacritatem. Postremus denique advenit Mercurius, Guilelmus nimirum Secundus, Princeps, si quisquam alius, mansuetus, caduceator alter, Monasteriensis pacis incundæ quasi præmuntius, ineuntis procurator, initæ assertor vigilantissimus & vindex, qui hanc suam mansuetudinem hunc que suum pacis affectum communicat. Cum itaque quod in eorum

singulis divinius & excellentius extitit, id indulgentissime ad Heroïs nostri generationem contulerint, ex his conjicitur facillime, quis & quantus sit deinceps futurus.

Luctuosa fuere, si unquam alias, quibus ortus est, tempora. Cum in lucem prodiit, Familia ejus tota vel excisa, vel exulans, vel mœrore confecta. Maternus Avus regum piissimus, æquissimus ac moderatissimus, paulo ante in medio regno, in metropoli, in aula, à propriis subjectis, infando ausu, (horreo dicere!) per carnificem fuerat capite truncatus. Filii ejus tres, hæredes regni legitimi, Infantis nostri avunculi, non modo regno paterno sed & circumjacenti-

tibus regionibus, inaudita barbarie, fuerant expulsi, incertique hac & illac, nusquam tuti, nusquam quieti, omnibus propemodum ad vitam necessariis destituti, vagabantur. Serenissimus Parens ante octiduum è vivis fuerat exemptus, hisque civitatibus acerbissimo funere ablatus. Unica supererat ex augusta familia Mater, quæ stabat inconcussa; sed conditio ejus varius quidem erat saxeus quidam rigor ex mœroris excessu obortus, quam vitalis stabilitas; adeo perenni lacrymarum fluxu, animique perpetuo exæstuantis suspiriis & angoribus fuerat exsiccata. Hæc erat rerum facies, hæc temporum ratio, cum est in lucem emissus. Quandoquidem Serenissima Mater

ter cum inter hos æstus atque angustias conceperit & ediderit; primo aspectu abjectissimum quid & abortivum videbitur; sed si propius paulo considéretur, & quæ tunt subsecuta inspiciantur, aliud omnino censebitur. Erit nempe lux serena, quæ ex nube agitationis vi disrupta erumpens, redeuntem aëris tranquillitatem, placidamque fluctuum & tempestatum furentium sedationem prænuntiet ac polliceatur: vel margarita quædam, quæ per tempestatem concepta, è concha dissiliente, duro quidem tempore, sed suo, prodeat ad sæculi ornamentum. Quid enim aliud videri potest, quando afflictæ familiæ & pænè dissipatæ sic adnascitur? ad

ejus excidium non accedit, ne-
cesse est ergo ad levamen & so-
latium illucescat. Neque vero
familiæ suæ dolenti ac mœ-
stæ unice illucescit: quandoqui-
dem occumbente Colissimo Pa-
rente Fœderatum Belgium præ-
stantissimum ducem amiserat, qui
libertatem & imperium paulo an-
te longissima bellorum serie, pre-
tiosissimo innumerabilium civium
sanguine, infinitisque laboribus
adepta & parta firmaret, succedit
scilicet, ut ea tueatur, magnumque
opus illud à Proavo ante octo-
ginta annos inchoatum, à Patruo
magno deinde promotum, ab A-
vo & Patre tandem consumma-
tum amplificet, augeat, & ex-
ornet. Non aliud certè, providen-
tiæ

tiæ Divinæ (submittentis consilium, non alia mens; uti hodierna die suavissimé experimur. Quin & majora quædam & sublimiora in isto ejus ortu præsignificata intuemur. Fallit forsan conjectura; proclivissimaque cum sit cupidis in sua vota fides, ideo quia rem summo animi affectu optamus, hanc fortasse in votis potius legimus, quam in signis quibusdam nativitatem illam comitantibus; ut ut sit, in ipsa nativitate satis præfiguratam arbitramur. Cum nascitur Princeps, omnia in avito regno sunt turbata factioforum quorundam hominum audaciâ, secretis cum Galliæ tum Italiæ consiliis & machinationibus firmatâ ac impulsâ; leges sunt eversæ, Rex ipse (facinus

nus heu! sine more) securi percussus, Regni Hæredes cum variis Optimatibus ejusdem columnis expulsi & extorres, fœdata Ecclesiæ facies, concussa Religionis sanctitas; nutant, uno verbo, omnia, miserequè labefactata præcipiti lapsu in ruinam feruntur. Is verò unus esse videtur, qui nativitatis jure, religionis conditione, morum suavitate, res queat instaurare, & ad cunctorum, etiam factiosorum, vota componere; qui regno formam suam, legibus splendorem ac efficaciam, optimis quibusque facultates & bona, exulibus patriam, Ecclesiæ majestatem violatam, Religioni temeratam sanctitatem certò restituere valeat. Tum autem desideratissimus

mus advenit, & quasi cœlo delapsus in lucem prodit. Et quisquam inficiabitur ipsum eo consilio à Deo subministrari, ut suo tempore restituat? Præsertim si animadvertat, quæ ab ejus ortu in hodiernum usque diem evenerint; qua ratione Regni hæredes in Regnum fuerint restituti; qua ratione eorum jam sororis filius in generum fuerit assumptus, ut eorundem throno propius admoveretur; qua ratione demum ad eam, quam nunc obtinet, potentiam, ad eam auctoritatem, ad eas opes, summotis quibuslibet obstaculis, fuerit perductus, ut his fretus thronum eundem adversus oblu-ctantem quemcunque, (si detur aliquis, quod futurum minime

putamus) quoties vacabit, & occupet & tueatur, eoque occupato ea universa exequatur quæ jam auguramur. Nullus certe merito poterit negare.

Verum & ipse nascendi modus etiam plurima nobis offert futurorum præsagia; quæ tamen universa, vel ejus magnitudinem, vel Reip. hujus gloriam & officia expresse respiciunt. Octavâ post Sereniſſimi Parentis obitum nascitur. Quidnam istud significat? nihil aliud profecto, quam quod harum civitatum principatus Supremo Numini sit adeo carus, ut nolit eum vel minimam pati eclipsin, sed statim à Parente in Filium, à decessore in successorem, successione vix interrupta, transmittat.

Quid

Quid quod in ea rerum diſpoſitione & illud nequaquam exiguum ſingulari attentione advertendum. Antequam in lucem prodeat, exciditur truncus, cujus radicibus erat adhæſurus, ſucco fovendus umbraque adverſus occurſantia quæque protegendus. Ominoſum iſtud prima ſpecie & ferale, quippe quod portendere videatur, fore, ut is quamprimùm exareſcat aut reſcindatur. At ſi omen attentius circunſpiciamus, aliud omnino ſignificabit. Exſcinditur ſcilicet planta, cui ille ſubnaſcitur, ut vitales auras, cæleſtemque rorem, quibus eſt alendus, proxime, & ne Parente quidem medio, cælis excipiat. Paternum iſtud umbraculum quaſi removetur, ut is

liberiori cœlo fruens citius exurgat, ramos longe lateque facilius diffundat, flores denique ac fructus maturius producat. Amoventur demum quæcunque possent ab eo flatus & tempestates arcere, ut his jactatus profundiores agat radices, firmiusque adversus quancunque ingruentem procellam obdurescat. Neque defuit eventus. Paucis enim annis ad laboriosissima quæque sic factus est, ut eo ipso tempore, quo Principes alii in sinu matris lusitare solent, ipse Parentibus orbus in potentissimis hostibus repellendis & atterendis exerceretur. Ne dicam, Parentes tam cito fuisse ipsi præreptos, ut Reip. nostræ potius quam illis esset consecratus; ut non unum

num aut alterum, sed multiplicem Deus ipsi destinaret parentem & institutorem; ut denique Patriæ natus, Patriæ Patribus committendus esset, qui amantissime & studiosissime educandum curarent.

Et certe ea benignitate excepe-runt, eaque sedulitate curarunt instituendum, ut nihil in iis desiderari possit. Gignit nos natura, fingit ars, consummat experientia. Id minimè ignorarunt Sapientissimi Proceres nostri, eaque de causa cum à natura, matre benignissima, datum susceptissent, arti quidem commisere, quæ plenius effingeret; sed experientiæ potissimum commendandum arbitrati sunt, quæ absolveret & expleret. Natura ergo Divinæ hujus Imagi-

nis ſubſtantiam & colores dedit, ars diſpoſuit, perfecere vero permulta, quæ continuo obtigere, experimenta, ingreſſu quidem primo periculoſæ plena aleæ, ſed progreſſu longe feliciora, egreſſuque tandem feliciſſima. Noſtis enim, quotquot adeſtis, AA. ipſum vix agendi attigiſſe ætatem; cum non modo ipſi fuerit agendum, ſed & pro dilectiſſimæ Patriæ ſalute, pro gloria, pro religione, pro imperio, pro aris & focis adverſus hoſtes potentiſſimos, infenſiſſimos, pluribuſque jam partis victoriis inſolentiſſimos acerrime dimicandum. Hæc ſcilicet prima fuere rudimenta, quibus Adoleſcens fuit ad ſequentis ætatis præclara geſta præparatus; Hæc potiſ-

tissima exercitamenta, quibus eruditus. Num lubrica atque ad lapsum proclivis ejusmodi via? Num Adolescenti virtutis & gloriæ iter vix ingresso præceps & periculosa? Num Heroi æstuantis juventutis ardore unicè propemodum impulso, circumpositaque præcipitia præ festinatione vix attendenti, ominosa? Præceps certe, imo forsan temeraria, ni succedens eventus vindicaret. Vehementiore quidem flatu adversanteque procella navis celeriter ad portum defertur: at timendum, ne vel undarum insultatione vel scopulorum occursu frangatur. Quocunque res vertat, sive ad optatum gloriæ culmen, sive ad expetitum quietis portum perve-

vematur, non satis circumspecta hujusmodi velificationis ratio. Huic tamen Principi felicissime cessit. Consultissimorum Reipl. hujus Senatorum prudentia ardori ejus præluxit, longo usu firmata Ducum & Militum nostrorum peritia fortitudini subvenit, è diversis partibus accurrere undæ, quæ auxiliarentur, his omnibus demum occultus Dei favor accessit, qui prosperaret; hincque factum, ut gloriæ cupiditas in virtutem, in fortitudinem audacia, periculum in securitatem, inopinato fere eventu, exierint.

Quanquam tamen Heros noster experimentis potius, quam præceptis, ad istam, quam in eo cernimus, sapientiam & virtutem

tem fuerit perductus; non ideo tamen putandum neglecta prorsus fuisse præcepta, quibus ante formaretur. Nulla est novella planta, quantuncunque egregia, quæ cultu quodam non indigeat. Excellentiores quæque leviori quidem egent, quippe quæ ab ortu ea fere obtineant, quæ excolentis manus afferre posset; sed ni aliquis adhibeatur, timendum, ne sylvescant, aut aliquatenus degenerent. Idem de ingeniis sentiendum. Sylvescet indoles etiam generosissima, ni institutione consentanea excolatur. Eapropter Adolescens noster non fuit quidem præceptorum multitudine contusus & ista tralaticia institutionis via ad sublime culmen evectus; necessa-

riis tamen omnibus & acerrime imbutus est & felicissime. Christianus erat professione, origine Princeps, omnium Fœderati Belgii exercituum terra marique Imperator destinatione, occulto demum Dei judicio supremus Belgii ejusdem Gubernator futurus. Et Christiani, & Principis, & Imperatoris, & Gubernatoris artibus abunde fuit institutus. Quid quod, cum ad puriorem religionem aliquando defendendam, restituendam, ac propagandam, tum in his civitatibus, tum in aliis, secreta Numinis designatione vocaretur, indeque pleniori ejus cognitione esset illustrandus; ne Christianorum quorundam Principum prima illius fundamenta igno-

ignorantium, cæcumque furorem suum, aut ambitionem immoderatam pro genuino divinæ gloriæ zelo reputantium, exemplo, eam per fas & nefas tueretur, omnique vi & injuria diffunderet: eapropter & plenissimâ est illustratus. Cum etiam inter Principes sanguinis nobilitate emineret, indeque nobilioribus Principum artibus, humanioribus literis, matheſi, politica deberet ornari, his quoque affatim est ornatus. Cum itidem numerosissimis copiis præficiendus esset, hincque militaribus disciplinis erudiendus, his parit est quammaxime eruditus. Postremo cum ad Reip. sapientissimis legibus institutæ, terra marique longe dominantis, clavum esset

admovendus, eaque de causa singulari humanitate, rerum civilium scientia, atque auctoritate egeret, ad voluntariam à civibus reverentiam obtinendam, his quoque cumulate est instructus. Quod quum ipsarum rerum testimonia nunc satis loquantur, tum ordo processuum, per quorum articulos singuli etiamnum novimus juventæ istius cursum esse exactum, fatetur. Quid enim? Nonne hoc erat, quod relicta primaria & nobili Haga, deposita comitatus aulici mole, & isto principalis phantasiæ strepitu, in hanc quietem, in hoc Musarum sacrarium, quod Arausiorum principum auspicia reddiderant cærimoniis musicis sanctissimum, veluti secessit? Non ut

lan-

langueret ſolitudine, ac deſidis otii perſequeretur ignaviam, (non id patiebantur ſtimuli ab natura vel origine inſiti:) ſed ut ſecum loqui ſciret, & illam divinitus dati ingenii præſtantiam abſolveret, non inchoatam deſereret. Hoc ſolitudinis Lugdunenſis donum, ut ingenti documentorum copia tu, beatiſsima Hollandia, jam diu cæpiſti agnoſcere, ſic faxit Deus, ut poſthac itidem experiare diu, iſtum heroa vere tuis incolis, tuo populo & felicitati didiciſſe & impendiſſe quicquid id temporis fuit. Quod quidem non alia cauſa finivit, niſi imperandi & regnandi artes, quæ longe graviores, tranquillam iſtam liberalium artium contemplationem interpellarunt;

dexteritatemque ſapientiſſimi Herois ſibi admoveri juſſerunt. Sed & ſic tamen doctrinas affatim coluit, ut omnibus ſuæ ætatis vel conditionis adoleſcentibus palam faceret, quantum ad ingenii cujuſque decus ac ornamentum conferant; cum ipſe tot naturæ & artis dotibus illuſtris, ab iis tamen novum ſplendorem poſtularit. Neque hinc decedens earum eſt oblitus. Cum enim non poſſet per ſe meritis eas honoribus mactare, ſemper tamen per alios conatus eſt venerari, ſtudioſiſſime proſpiciens, ne quis in hac Academia ad earum ſacra peragenda admoveretur Myſta, qui non eſſet digniſſimus.

Jam quod pleniorem ſcientiam rei Militaris attinet, ad eam non alie-

alienis præceptis, ſed ſuis Imperiis; non furtis bellorum, ſed aperto ſimul ac favente Marte eſſe traductum noſtra ætas teſtis eſt, & nos ipſi conſcii.

Et ſane jam quidem tenuiori ætate diſcentem ſatis intuiti optatis, opinor, denique mecum progredi ad robuſtiora, & fata rerum ſequendo, agentem ſequi & admirari quoque Principem. Verum ad ſolis radiantis fulgorem manifeſtandum faces non ſolent accendi. Eo qua ratione igitur ſingulas ejus virtutes quaquaverſus perfectiſſime jam fulgentes perſequemur? Quid enim in ejus gravitate, modeſtia, temperantia, facilitate, aliſque ſimilibus notiſſimis ultra legem dotibus hæreremus? Ita faci-

ciles sunt ad eum privatorum aditus, ut is qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur. Præterea quæ rapacitas ipsum unquam ab instituto justitiæ tramite ad prædam aliquam? quæ libido à præscriptis temperantiæ legibus ad voluptatem? quæ amænitas à gravibus negotiis ad puerilem quandam oblectationem deflexit? Nonnullos videas hoc sæculo reges & magnates, qui, cum omni fere majestate sint destituti, nescio tamen quam affectant gravitatem, cujus sub umbra lateat eorum inanitas, Ethnicorum Penatibus similes, qui etsi in interioribus ædium partibus adorentur, riderentur tamen si luci exponerentur. Jam autem si severus

rus, ſi gravis, ſi temperans videtur Heros noſter, ſunt hæc quidem umbracula, ſed quibus ſplendidiores ejus virtutes potius obſcurentur, quam quædam ejus inanitas veletur.

Sed hæc, uti vulgaria & ſecunda quædam, omittentibus nobis liceat procedere ad longe nobiliora, ad eam ſcilicet prudentiam, ſolicitudinem, & pietatem, quam in rebus civilibus, bellicis ac religioſis oſtendit. Hæc enim ſunt, quæ Principem verè faciant, Imperatorem commendent, & Chriſtianum gloria immortali afficiant. Quandoquidem in rebus politicis Proceres noſtri ad Reip. gubernaculum cum eo aſſideant, iſque juxta horum oculorum directionem ſingu-

la quæque perficiat, fieri nequit, ut non omnia convenienter procedant; Supremæ tamen huic Menti ſpecialis ſua laus eſt vindicanda. Partes ejus in eo potiſſimum verſantur, ut auctoritate ſua agenda quæque ſanciat, vel etiam aliquando voluntate definiat, quo ad exitum perducantur; quæ duo ſane difficillima ſunt, apud homines potiſſimum ſervituti minime aſſuetos, nunquamque aſſuefaciendos. In his autem quanta ſolertia, quanta moderatione, quantáve ſuavitate ſeſe gerit? Si quid judicio expendendum veniat, tanta circunſpectione expendit; ſi quid voluntate definiendum, tanta moderatione definit; ſi quid auctoritate mandandum, tanta ſuavitate de-

demandat, ut nulli quantuncunque moroſo vel minimam relinquat obmurmurandi cauſam.

Neque minor ejus dexteritas minorve in militaribus adminiſtrandis ſollicitudo. Si hoſtes quidam temere incurrant, non is eſt, qui ignave defugiat, uti ſæpe oſtendit; ſed cum pax bello ſit longe anteponenda, non is eſt, qui juvenili ardore hoſtes vocet, ut triumphandi habeat opportunitatem: quum eo ipſo momento, quo illum vidimus hoſtes munitiſſimis aggeribus circumdatos inde exturbantem, & tanquam pecora diſſipantem ac trucidantem, eo, inquam, ita glorioſo momento etiam pacem admittere, & victoriis modum imponere poſſe

rebus declaraverit. Eſt draco ille, qui Heſperidum hortis cuſtos præpoſitus, ſollicite quidem advigilat, ne latronum circumeuntium ullus irrumpat, aurum & divitias rapturus: at prætereuntium neminem temerarie offendit: in id unum vigilans, ut placide univerſa fluant, mercatura exerceatur, artes vigeant, literæ colantur, pietaſque demum in dies augeſcat. Hæc ejus agendi ratio. Cumque eam in rem conveniens militum manus, prudens eorum delectus, exacta diſciplinæ obſervatio, munimenta, arces, navales apparatus, aliaque ejuſdem generis permulta ſint plane neceſſaria, eapropter horum ſingulis conſulit diligentiſſime. Leviſſima iſthæc prima fron-

fronte videntur; his tamen anchoris inconcussa stat Reip. hujus navis, circumfluentibus undis nequicquam jactata. Et quanquam ad clavum immotus & iners videatur navarchus sedere, consilio tamen & robore sic adversus incursantes quosque fluctus obfirmat.

Testes eam in rem vos quidem advocarem, hostes inimicissimi, tum maritimi, tum terrestres, qui jam pridem res nostras velletis extinctas; sed eam vobis facit invidiam felicitas nostra, ut oculos avertatis, ne ejus aspectu contabescatis. Vos igitur unice appello egregii milites, duces cujuscunque ordinis fortissimi, ceterique honestissimi & religiosissimi viri, qui ex omnibus circumjacentibus

oris in has noſtras affluitis, ut vel ſub vigilantiſſimi Imperatoris noſtri vexillis militetis, vel ſub eorum umbra placide & pie nobiſcum quieſcatis. Teſtes enim hujus rei eſtis & graviſſimi & præſentiſſimi.

Quid vero jam tandem de Principis hujus pietate dicam, quanto cæleſtia terrenis, humanis divina præſtantiora, tanto certe hæc virtus inter alias ejus omnes excellit. Intelligit ſcilicet per quem regnant reges juſtitiamque adminiſtrant Principes, propter eundem illos regnare & juſtitiam adminiſtrare debere. Proinde in eo quidem eſt humanarum rerum cura, divinarum autem vere ſollicitudo prorſus anxia. Hinc quam in templis aſſiduus, in precibus ſupplex

plex, in admonitionibus excipiendis ſubmiſſus, in obtemperando promtus. Neque in templis tantum religioſus. Quemadmodum in ſacris his locis audit, veneratur, vovet, ita quoque extra eos operatur & agit; miſeris & afflictis benigniſſime facultatibus tum privatis tum publicis ſuccurrens.

Experimini quotidie vos, vos, inquam Gallicæ impotentiæ exilia, & ita experimini, ut nihil ſit, quod deinceps patriam, parentes, agnatos, facultates & fortunas defleatis: cum in hac fuga indulgentiorem patriam, beneficentiores parentes, agnatos longe amiciores mirabili Dei providentia, quæ ad veſtra ſolatia mentem Principis hujus advertit ac direxit, obtinue-

ri-

ritis: ut ſic novam hanc patriam, novum principem, novam in libera felicitate vitam, & hanc miſericordiæ aram amantes, atque adeo inſerti Batavorum ſanguini, ejurato iſto capitalis & peſtiferi animarum veſtrarum alaſtoris ſacramento, iſto Gallicæ perfidiæ, tyrannidis ac ſuperſtitionis conſiſtorio, mecum & cum omnibus popularibus meis, tum ſemper voveretis, tum hoc præſertim die ingeminaretis, Vive, Sereniſſime Guillelme, vive, & memoriam hujus magni diei, animo ac corpore ſalvus, ſæpe, non ſiniſtra tantum, ſed etiam dextra computans renova. Vive, benefice Guillelme, & cui rei ſe quatuor deinceps proximi majores tui, cui rei tu te ipſe vel-

ut mandatum generis tui peragens induisti & consecrasti, si quid forsan adhuc addi libertati securitatique communis Batavorum Reip. possit, porro & usque ad eam accingere; quotiescunque in consilium iturus es, adsestrix tibi sit ipsa prudentia, pectusq; præbeat, quod hujus mundi tui curas possit sapienter evolvere; quoties bellica ingruent, felicitas & fortitudo, ut antehac, pergant munire latera tua; & quæ fuit adhuc, maneat esse insita tibi magnanimitas & sapientia Augusti, benevolentia Titi, mitissima bonitas Trajani, amor Marci Antonini; ut sic, stabilita hac tellure & in dies coalescente, non pectorum, sed & linguarum in hoc justo

præconio concordia, illud ſacrum mihi, ſacrum omnibus Batavis, & præcipue huic loco, nomen Guillelmi, illa tanta virtus, ille tam vivus perſpicaxque animus, per incana ſæcula, per omnes famæ ſinus ac receſſus, perſonent & cum fauſta veneratione ſalutentur.

BRITISH MUSEUM

DIXI.

Honori Nobiliſſimi Generoſiſſimique

D. ARNOLDI
BARONIS DE WASSENAER,

Domini in Voorſchooten,

GRATULANTES MUSÆ

Ob encomium Sereniſſimo Celſiſſimoque

PRINCIPI

GUILLELMO HENRICO

In natali hujus die laudatiſſime & cum fauſto frequentiſſimi auditorii ſilentio peractum.

Inclyta Civilis celebrati & digna Propago,
Auguſtos inter Gloria clara Patres,
Aſpice vernantis gentilem in flore juventæ,
Cujus ab imberbi Tullius ore fluit.
Læta dies rediit, quâ fauſto regia mater
Auraſium partu (munera quanta!) dedit.
Scilicet interno periiſſet patria morbo,
Aut bellatoris præda fuiſſet Heri.
Ni divina manus, noſtros miſerata labores,
Rebus in extremis æqua tuliſſet opem.
Hic vir, hic eſt, lapſam qui nuper reſtituit rem.
Rumpatur, rumpi ſi velit invidia.
Sóſpite quo florens Batavûm res publica ſtabit
Nec minus aſſertæ Relligionis honor;

Quam proavi fundavit amor, ſtabilivit & ulter
Patruus, & belli fulmen adauxit avus.
Quam genitor pulcra ditavit pace decorus,
Ereptus Belgis heu nimis ante diem!
Hic conjurato ſciſſam reparavit ab hoſte,
Victoris Celtæ cuncta petentis obex.
Poſtume, vive diu, generoſi ſanguis Adolphi,
Digne nepos Regum, Poſtume, vive diu!
Otia tu ſolus feciſti hæc dulcia nobis,
Spes Britonum, miſeris præſidiumque piis.
Tuque adeo, Waſnare, decus magnum addite genti,
Ad Themidis propero limina curre gradu;
Ipſa ſuos pandet, penetralia ſancta, receſſus,
Inſolito gaudens hoſpite Diva coli,
Diſce bonas artes, tanto duce, & auſpice tanto,
Nobilis heic fidens ſtemmate, ſi quis adeſt;
Quam puer Idalius, judexque, & murmura vulgi,
Tam dabit eloquio miles, & ira manum.
Crede mihi, quondam ſic ivit ad æthera, magni
Quidquid habet Latium, Græcia quidquid habet.
Dulcis ab armato veniet tibi gloria Marte;
Quæ venit à Muſis gloria, magna venit.

RULANDUS KINSCHOTHUS.

Suſpice maturos juvenili in pectore fœtus
Et mentem validam pondera ferre viri.
Suſpice, præclaræ felix Hollandia prolis,
Ad tua quas voces maxima ſacra tulit
Arnoldus, fervens divinæ Palladis ardor,
Os tibi ſubſtituens ingeniumque ſuum.
Ille quidem à Chariſin primo formatus, ad unguem
Conſpicuus pulchri corporis effigie.
Fotus & ab Nymphis cœleſti lacte, potitus
Indole perfecta magnificaque fuit.

Qua

Qua sola poterat niti, quæ sola sedenti
In gremium & vacuo cuncta datura foret.
Sed flagrans vigor ille, genus quem sanguinis alti
Indidit, ignavum non sinit esse decus.
Hinc satagens & multa movens, te, Maxima Pallas,
Ante alias, studio te vigilante petit.
Vos Musæ testes, quoties sua tempora jungens
Duxerit impensâ sedulitatis ope.
Ut defœcatæ nativa hæc semina mentis
Condiret, docta pectus in arte colens.
Inprimis ut lingua foret non barbara, mentis,
Quæ docet, humanæ quam sit aratus ager.
Hunc habitum viresque excelso stemmate fultas
Et tot majores, numina magna, suos
Et Genium (nihil esse potest præsentius illo)
Principis, optabat quem memorare, ferens
In cathedram secum, pulcherrima munera, voces
Et linguam officio, Leida, dat ille tuo.
Ut pietas Magno (cui debes omnia) pleno
Munere præstetur grata memorque Duci.
Quanta fides oris? quo pondere singula dixit?
O verum ingenitæ nobilitatis opus!
Suspice tam largas, Hollandia, suspice dotes,
Spemque futurorum concipe certa bonam.
Tanta juventutem decoret quum gratia primam,
Linguaque jam tantas promere possit opes;
Quam bene majori credentur publica? quanta
Vir poterit patriam fruge beare suam?

JACOBUS GRONOVIUS.

Posset Alexandri sacros quæ ducere vultus,
Quondam multa fuit ingeniosa manus.
Aptè adeò tamen unius ducebat Apellis,
Unica ut extiterit, ducere cui licitum.

Pingere cuique Tuum Heroëm, *Vvasnari*, fas est;
Sed qui aufit posthac, vel queat, unus eris.
His etenim radiis mores & facta coloras,
Præ quibus effigies omnis inanis erit.
In te aliquis forsan vitium damnaverit istud;
Nonnihil obscures, quem radiare velis:
Is siquidem picturæ ornatus, isque colorum
Fulgor, ut objectum surripiant oculis.
Ne tamen id doleas: etenim pulcherrima quæque
Per quod resplendent, hoc operire solent.
Sic radiis velat substantem gemma cōronam:
Sic etiam obscurat solis imago patrem.
Principis ergo tui vultus sic semper obumbres,
VVasnari, nihil est quod vereare tibi.
Hoc solum adjicias, verbis ut dum exprimis acta,
Præterea factis hæc imitere tuis.

Sic accinebat
PETRUS DE VILLEMANDY, V. D. M.
Nuperque Philosophiæ in Academia
Salmurienſi Professor Ordinarius.

O Decus eximium, ac fæcli mirabile nostri,
Ex genere Heroūm, ac Nobilitate potens.
Quis laudum tibi limes erit, dum flore juventæ
Ingenii pandis semina magna tui?
Ascendens Cathedram recitatu, pectore firmo,
Divinas laudes PRINCIPIS AURIACI.
Qui res collapsas restaurans, sceptra gubernans,
Est dulcis Patriæ, dignus amore, Pater.
Applaudunt omnes, applaudit Phœbus Apollo,
Gloria stirpis eris, atque perenne Decus.
In te splendescit Patriæ virtutis imago,
Tu studiis magnum nomen ad astra feres.
Judicio felix quævis leviora remittis,
Er tibi, quæ fuerant ardua, sola placent.

Otia dum captant alii, fugiuntque labores,
Tu ſtudiis vigilas, doctaque ſcripta legis.
AURIACUS vivat PRINCEPS, ac floreat omnis
Stirps WASSENARIÆ pergenerosa domus.
Ita voveo, ita opto, atque in hoc
voto finio,
Nobilitatis tuæ humillimus cultor,
JOHANNES à WYNGAARDEN,
Eccleſiaſtes in Voorſchoten.

VOTA CATVICENA
ad eundem.

WASNARIÆ Gentis Decus, & Spes Magna Parentis,
Et Patriæ, Summus Nobilitatis Apex,
Gloria LEIDENSIS non multum viſa CATHEDRÆ,
Palladis & Themidos Cura Utriuſque Deæ,
Quem Princeps, Proceres, Urbes, Batavuſque Senatus
Deſtinat ad Patriæ Munera celſa Togæ,
Nominis in ſcenam prodi: Sic itur ad Aſtra,
Calcar & Exemplum Nobilitatis eris!
NASSOVIOS laudaſſe Duces non ultima laus eſt,
Ac Tutelares Hos celebrâſſe Deos.
Et MAGNO Multos Annos optâſſe WILHELMO,
Atque Serenatos & ſine Nube Dies,
Fama per Illuſtres Belgarum buccinet Oras,
AURIACOS nullo tempore poſſe mori,
Unus & Alter erit Fratrum Pulcherrimus Armis,
Tuque Toga in Procerum conſpiciende foro;
Moribus Antiquis ſic Res Batava Viriſque
Stabit, & Uniti Lauſque Decuſque Soli.
His Dextras junget ſocias. His Bella movebit,
Prælia jam Terra, jamque gerenda Mari.

Poſt-

Postquam permultos populos spectatis & Urbes,
Cæsareasque Aulas, Cæsareosque Duces,
Et Venetos Patres, divisos Orbe Britannos,
Denique & Helvetûm pectora fixa Deo,
Tunc remeès, Patriasque inter numerare Columnas,
WASNARIAS ornans ædificansque * Domos!
Eloquio pollens tanto Juvenilibus annis,
Ora futura brevi Regibus apta loqui!
Suscipe vicinas vobis ARNOLDE Camœnas,
Verbaque non meritis æquiparanda Tuis.

A. PARS.

BRITISH MUSEUM

Dum Ducis Arnoldus celebrat natalia summi,
Trajani laudes Plinius exsequitur.
Hoc cum præstiterit dicens ineunte juventa,
Quis tuus hic Nestor, Suada, futurus erit?

S. MUNCKERUS.

Est magnum fateor generoso sanguine nasci;
Ast proavûm gestis, & nobilitatis honori
Incrementa suis virtutibus addere, majus.
Hinc mihi multiplici cumulandus laude videtis
WASNARI, juvenum flos, dum virtutis amore
Egregio decori jungis decus, ore diserto
Huncce diem celebrans quo primum in luminis auras
Exiit *Auriacus Mavors*, ac percitus æstu
Sacro, concipiens tanto pro Principe vota.
Macte animi Juvenis, magni patris æmula proles;
Carpere idem bene pergis iter, renuisque notari
Majorum minuisse decus: tibi Jupiter æquus
Felicem vitæ cursum det, honoribus auctum
Non nisi decrepitum recipi patiatur Olympo.

Gratulabundus apposuit

JACOBUS HUNEKEN J.U.St.

This Story
Printed

Feb. 6. 168⅞

This may be Printed,

Sunderland, P.